THESES LOGICÆ

DE

RELATIONE

QVAS

JN CATHOLICA ELECTORALI INGOL-
STADIENSIVM ACADEMIA

PRÆSIDE

NICOLAO WYSING
SOCIETATIS IESV PHILO-
SOPHIÆ PROFESSORE
ORDINARIO

PVBLICE PROPVGNABIT

NOBILIS ET PERDOCTVS DOMINVS
SIXTVS VVERNERVS
BRIMSY AB HERBLINGEN, CA-
THEDRALIS ECCLESIÆ CONSTAN-
TIENSIS CANONICVS DESIGNA-
tus, Physicæ Studiosus.

AD DIEM IANVARII,

ANNO M. DC. XXX.

JNGOLSTADII, Typis GREGORII HÆNLINI.

IOANNI

REVERENDISSIMO ANTISTITI, ILLVSTRISSIMO S.R.I. PRINCIPI, EPISCOPO CONSTANTIENSI, DOMINO AVGIÆ MAIORIS, ET ÖENINGÆ &c.

Principi ac Domino ſuo clementiſsimo.

SI vel maximè dubio fuiſſem animo, R.me & Ill.me Princeps, cuius potiſſimum patrocinio fretus in arenam deſcenderem, pugil inermis Logicas inter ſpinas dimicaturus, ſolus & vnicus in Celſitudinem Veſtram obtutus omnì me curâ liberâſſet. Nunc quando ea de re dubitare me rationes meæ nunquam permiſerunt, Ill.mas Celſ. V. fores ſubeo confidentiâ animatus vt qui maximâ. Inuigilandum primò fuit, ne vel in ipſo theſium limine vulnus acciperem: accepiſſem, niſi fortiſſimum Celſit: V.ra præſidium à fronte poſuiſſem, cuius vel ſolo nomine nemo iam mihi hoſtis eſt. Deinde hæc ipſa mea diſputatio nè nomen quidem à Relatione *ſibi ſumpſiſſet, niſi fuiſſet eò* Relata, *quò maximè debuit. Quod ſi hoc auſu tenuitatis ſuæ rationem tranſiliendo ſublimiori loco ſuſpici voluit, ac oportebat, id mirum videri non debet, cùm* Relationes *etiam* tranſcendentales *habeat, nulla re humili ſatiabiles. Ipſe ego ſi impudentior debitum ſeruare modum non videor, id ex genuina* Relationis *natura facio, quæ ſcilicet ipſa* modum *non habet. Deniq; totus ego iam pridem ad Celſ. V. eam relationem ambio, qua membrum quoduis ad ſuum* Caput, *& ad Epiſcopum Canonicus referri*

 ſolet.

THESES LOGICÆ

DE RELATIONE.

TRia sunt quæ in hac materia disputari maximè & solent & debent: ipsa relationis Natura, eius Fundamentum & deniq; eius Terminus. nos totidem capitibus hæc ipsa ordine definiemus.

CAPVT PRIMVM.

RELATIONIS NATVRA.

THESIS PRIMA.

REelatio vt comunissimè sumitur nil aliud est, quam respectus quidam seu habitudo alterius ad alterum, qua nimirum habitudine vnum alteri quasi connectitur, ad aliud pertinet, refertur, ordinatur. vnde relatio etiam vocatur ordo, nexus, pertinentia &c. Dupliciter autem accidit vt inter duo talis connexio & quasi quædam vnio intercedat, vel reipsa, vel tantum per operationem mentis & fictionem.

II. Dari à parte rei veras relationes, vix dubitari potest: reliquas verò à ratione posse nasci clarum est: fit enim hoc vbi ratio vel inter res à se indistinctas respectum concipit, vel figmentum aliquod seu nihilum ad rem veram refert, aut è contra, vel tandem quando duo figmenta inter se comparat. Hos omnes respectus Aristoteles comprehendit illa definitione, quam ex veterum mente non ex suâ attulit, quando ait, *ad aliquid sunt, quæ illud ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.*

 III. Di-

III. Diuisio Relationis realis solenniter controuersa, est in Transcendentalem & Prædicamentalem. & Transcendentales quidem putamus esse veros & formales respectus, qui sint quandoq; de intrinseca ratione, ac differentiæ essentiales absolutorum entium, spectentq; vt plurimum non ad prædicamentum relationis, sed ad prædicamentum illius totius quod constituunt. Et isthanc nostram sententiam non ignobiles Theologi etiam in Deo locum habere docent.

IV. Sentiunt enim isti veri nominis relationem habere omnia illa, quæ cum aliquo termino connexa sunt & sine eodem intelligi non possunt: siue iam illius connexionis origo & radix sit dependentia & indigentia essentialis, qualis est in effectu ad causam; siue connexio illa pro ratione fundamentali habeat perfectionem & fæcunditatem essentialem eius, quod absq; indigentia ad aliud terminatur, qualis perfectio est in causa ad effectum. Verum ista Theologi disputauerint; nos in rebus creatis certum putamus, non inueniri quicquã, quod non ex aliquo capite cum aliquo alio connectatur, ac proinde relationem Transcendentalem ad illud idem dicat.

V. Fundamentum solidum huius diuisionis petitur à natura relatiuorum, ex qua habent vt diuersimodè cum suo termino connectantur. Sunt enim quædam quæ ita sunt propter aliud, vt respiciant illud tanquam purè terminum; & hęc sunt relatiua Prædicamentalia, quæ nimirum respiciunt ita suum terminum, vt illum habeant non nisi pro termino & quasi meta habitudinis suæ, nec vllum aliud munus circa eundem exerceant. Rursus alia relatiua sunt, quæ non respiciunt terminum sub pura tantum ratione termini; & hæc sunt relatiua Transcendentalia, quæ præter id quod est respicere, habent adhuc aliud munus circa terminum, puta vel causandi, vel vniendi, vel repræsentãdi, vel quid simile, adeoq; secundum illam rationem in peculiari prædicamento ponuntur, & hoc quartum transcendunt.

VI. Et hoc discrimen relationes Transcendentales inter, & Prædicamentales placet præ alijs, quæ multa à multis afferuntur.

runtur. Et inde ſequitur non omnem relationem tranſcendentalem eſſe differentiam eſſentialem, quæ aliquam ſpeciem entis in ſua ratione intrinſecè conſtituat; id quod naturæ rerum adſcribendum eſt, quæ æqualiter committere potuit, vt per accidentia aliqua quinti prædicabilis aliquid ad aliud ſe haberet vt ad non purè terminum, quodq; propterea ſimul contineret rationem aliquam abſolutam, ſimul reſpectiuam, perinde vti eadem natura fecit, vt aliquid dicto modo ad aliud per eſſentiales differentias ordinaretur.

VII. Interim haud negem alijs adhuc rationibus diuerſas eſſe relationes Tranſcendentales à Prædicamentalibus: vt quod illæ non requirant terminum actu exiſtentem, hæ verò neceſſariò requirant: quod illæ non præſupponant aliquod fundamentum, hæ præſupponant: quod illæ aliquando eſſentiales ſint ſuis ſubiectis, hæ nunquam, & ſi quid aliud eſt in vtriſque reperire, quo diſcrepent, quod quidem, quantum, & quale ſit, aptius deprehendetur, vbi ipſam rationem relationis Prædicamentalis explorauerimus.

VIII. Igitur Prædicamentalis relatio eſt *Accidens reale, cuius totum Eſſe in hoc conſiſtit, vt ſubiectum per id referatur ad aliquid tanquam ad purè terminum.* Hæc omnia intellexit Ariſtoteles, quando pro ſuo more Relationem breuius iuxta, ac profundius ita deſcripſit. *Relatiua ſunt, quorum hoc ipſum eſt Eſſe ad aliud ſe habere.* Quanquam neque dum ſatis clarè intelligitur omnis natura, & affectiones huius entitatis, ac proinde aduertenda ſunt ſequentia. 1. quando totum Eſſe Relationis dicitur conſiſtere in ordine ad aliud, ſeu in ordine ad terminum, intelligendum id eſt de Eſſe relationis ſpecifico ac peculiari, quodque expreſsè & diſtinctè per conceptum formalem Relationis repræſentatur. Nam bene diſtinguitur duplex Eſſe in Relatione: Eſſe In & Eſſe Ad, id relationi commune eſt cum omnibus accidentibus; hoc verò proprium eſt ſoli Relationi, & ſecundum hoc totum Eſſe Relatio ordinatur ad aliud, eo modo quo dictum eſt.

IX. Deinde Relatio iſta eſt quid medium inter duo extrema

trema coexiſtentia, nempe inter ſubiectum & terminum, non verò eſt ipſa coëxiſtentia extremorum abſolutorum: naſcitur tamen ex coëxiſtentia duorum extremorum, quæ Relationi prius natura ſupponuntur quam ea exurgat; non eſt tamen iſta Relatio in vtroque extremorum intrinſecè exiſtens, ſed alterum quidem afficit intrinſecè, alterum extrinſecè; quare dicendum videtur, Relationes reſpectu ſubiecti eſſe denominationes partim extrinſecas, partim intrinſecas, ita vt adæquatè conſtituatur ex eo quod eſt reſpicere, & ex eo quod eſt reſpici, quorum prius eſt in ſubiecto, poſterius in termino.

X. Tertiò Relatio Prædicamentalis tam ſecundum id quod dicit in ſubiecto, quam ſecundum id quod dicit in termino eſt quidem forma quædam realis, realiter & intrinſecè denominans ſuum ſubiectum, quod in Eſſe relati conſtituit, non eſt tamen accidens quoddam à ſubiecto aut termino realiter vllo modo diſtinctum, ſed tantum formaliter ſeu ratione ratiocinatâ. Immo Relatio reipſa eſt quid abſolutum non tamen abſolutè ſumtum, ſed vt ſecundum Eſſe ſuum inadæquatum quod dicit in ſubiecto, reſpicit aliud Eſſe inadæquatum, quod in termino à ſubiecto extrinſecè connotatur.

XI. Ita commodè effugimus immanem illam entitatum modalium multitudinem, quam cōtrarij auctores incurrunt. Et ſuas etiam in Deo Relationes prædicamentales agnoſcit probabiliter Mendoz. diſ. 15. meta. §. 114. minimè repugnante Suarez. diſp. 47. met. ſect. 15. n. 20. perinde enim vt eadem actio in ſe immutata denominationem habet creationis vel conſeruationis, cœnæ vel prandij ex eo ſolùm, quod cum alio & alio tempore coëxiſtit, ita Devs in ſe immutatus denominationem relatiuam habet creatoris, quando creaturæ coëxiſtit in tempore, cui ab æterno non coëxtiterat.

XII. Quartò tandem aduertendum eſt, quod genus ſummum Prædicamenti Relationis ſit vnicum, nempe Relatio in communi, quæ adæquatè conſtituitur ex aliquo intrinſeco, & aliquo extrinſeco, nempe ex Reſpicere & Reſpici in communi, prædicaturque de inferioribus Relationibus in quid ſicut

cætera

cætera genera. Species huic summo generi subiectæ vocantur Relationes secundum Esse, reliquæ verò omnes Relationes siue reales siue rationis vocantur secundum Dici, nō quasi Transcendentales non veri, sed quia non meri respectus sunt, adeoque comparatione factâ ad puros respectus loco entium absolutorum habentur.

CAPVT SECVNDVM.

RELATIONIS FVNDAMENTVM.

XIII. Confundunt quidem aliquando auctores subiectum Relationis cum eiusdem fundamento, sed reuera hæc non pro eodem sumenda sunt, quantumuis ad Relationem vtrumque simul concurrere debeat: alioqui necessariò eueniet, vt in multis ab aliorum placito discrepare videamur, vbi etiam conuenire volumus. Rem hanc ipsa vtriusque definitio planam faciet. Est ergo subiectum Relationis id, cui Relatio tanquam accidens inesse concipitur. Fundamentum Relationis, vt sic, non est id cui inest Relatio; sed est causa quædam, radix, & origo cur Relatio alicui conueniat; & aliquando à subiecto distinguitur, aliquando verò idem est cum eo realiter; nunquam formaliter: potestque aliquando sine fundamento existere Relatio; nunquam autem sine subiecto.

XIV. Tria genera fundamentorum rectè asignant cum Aristotele Peripatetici; siue quod idē est, ex triplici capite & fonte oriri aiunt, vt aliqua Relationem inter se habeant. Primum genus fundamentorum est vnitas & numerus, seu multitudo, in quo fundantur Relationes Identitatis, quæ sunt inter essentias; AEqualitatis, quæ sunt inter quātitates; & Similitudinis, quæ sunt inter qualitates: item contrà etiam Relationes Diuersitatis, Inæqualitatis, Dissimilitudinis; atq; fundantur illæ quidem in vnitate, hę verò in numero. Nec tantum

priores, sed etiam posteriores sunt veri & reales respectus, & non solum meræ negationes.

XV. Est tamen inter hæc fundamenta disparitas quædã: nam Relatio Identitatis reperitur etiam in qualitatibus & quantitatibus, eò quod etiam hæ veram inter se vnitatem formalem habeant. Relatio verò æqualitatis & similitudinis non reperitur in essentijs, eò quòd hæ non sint capaces intensionis & extensionis requisitæ ad fundandas huiusmodi Relationes; vt enim sit similitudo inter qualitates, & æqualitas inter quantitates, necesse est, vt hæ quidem eodem modo extensæ, illæ verò eodem modo intensæ sint. Sed si duo similia pòst eodem modo vtrinque magis intendantur, fiéntne similiora? Respondeo negatiuè, verisimilius enim est nec Relationem similitudinis, nec dissimilitudinis formaliter sumtam intendi, sed potius in aliam speciem similitudinis & dissimilitudinis transire, eo ipso quod termini materialiter sumti aliam speciem intensionis accipiant.

XVI. Secundum genus fundamentorum est Actio & Passio, siue præsens ea sit siue præterita. In hoc fundantur Relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam: ac idcirco clarum est per Actionem & Passionem hoc loco non intelligi tantummodo eam actionem, quæ dicitur *actus agentis vt agens est*, & eam passionem, quæ dicitur *actus patientis vt patiens est*; sed sumuntur hæ voces latius, pro omni causalitate cuiuscunque causæ realiter causantis, siue formalis, siue materialis siue finalis ea demum sit.

XVII. Dubitatur hic primò, an Aristoteles per Actionem & Passionem solum intelligat id, per quod aliquid constituatur in Esse actualis agentis & patientis; an verò etiam id, per quod constituitur aliquid in proxima potentia ad agendum & patiendum, nempe ipsam potentiam actiuam & passiuam. Respondeo vtrumque intelligi, cum videatur vtrumque posse esse sufficiens ratio pro reali habitudine vnius ad alterum concipiendâ. Quapropter concedendum est duplicem Relationem interuenire in causa actualiter aliquid causante

ſante; alteram potentiæ actiuæ vt ſic ad paſsiuam: alteram cauſæ actualis ad effectum.

XIIX. Dubitatur 2. an Philoſophus in propoſito aſſignârit Fundamenta Relationum, an verò Rationes fundandi: quod vt intelligatur ſciendum eſt, auctores aliquos præter fundamentum Relationis in quibuſdam etiam requirere rationem fundandi, quam aiunt eſſe conditionem quandam, requiſitam ad id vt poſsit conſequi Relatio: neque enim ſine iſta conditione ſecuturam Relationem, quantumuis iam poſito ſubiecto, fundamento, & termino: ſic aiunt rationem fundandi per modum alicuius conditionis, in Relatione paternitatis eſſe generationem actiuam; fundamentum verò eſſe eiuſdem potentiam generatiuam, vel certè ſubſtantiam patris. Itaque ad dubitationem hac de cauſa poſitam Reſpondeo, Philoſophum & hoc loco & in primo ac tertio genere fundamentorum, intelligere fundamenta, & non rationes fundandi, quæ ſint conditiones tantum quædam ad Relationem requiſitæ.

XIX. Quod ſi tamen per Rationem fundandi cum alijs intelligeremus formale fundamenti, ſiue id per quod fundamentum formaliter habet quod poſsit fundare Relationem, ſic, inquam, admitti poſſet aſsignari rationes fundandi ab Ariſtotele, eo ipſo quod fundamenta aſsignantur quæ ſunt concreta quædam, quorum forma eſt hæc ratio fundandi. Certè qui abeunt in placitum cõtrarium, vel ſupponunt fundamentum eſſe idem cum ſubiecto Relationis, vel fundamentum debere eſſe relato intrinſecum, vel debere tamdiu manere quamdiu eſt Relatio: quorum quia nihil probatur, proinde non opus eſt cum illis hac in parte ſentire.

XX. Tertium genus fundamentorum eſt Menſurabile & Menſura. In hoc genere fundantur Relationes potentiarum & actuum ad obiecta: hæc enim ſunt menſuræ quædam, quibus potentiæ & actus coæquari debent, ad id vt poſsint habere ſuam perfectionem eſſentialem, atque ideo actus & potentiæ vocantur Menſurata ſeu Menſurabilia, paſsiuè ſumen-

do hanc vocem Mensurabile, quamuis eam Philosophus alicubi actiuè sumserit, quando dixit obiectum esse mensurabile.

XXI. Perperam faciunt, qui Relationes istas à censu verorum respectuum excludunt, quippe qui in hoc agant,& contra Aristotelem & contra rationem. Quin imo probabilius est omnes Relationes in hoc genere fundamentorum esse mutuas & reales vtrinque, hoc est tam ex parte potentiarum ad obiecta,quam ex parte obiectorum ad potentias: id quod S.Thomas saltem respectu obiectorum appetibilium disertè asserit, in 1. dist.30. q. 1. a. 3. ad 3. & apud Suarez d. 47. meta. sect. 14.

CAPVT TERTIVM.

RELATIONIS TERMINVS.

XXII. Requiritur necessariò ad Relationes prædicamentales: cum enim ex omnium sententiâ Relatio & terminus sint simul naturâ, ablato termino auferatur Relatio, posito termino ponatur Relatio, si iam fundamentum præexistat; consequens est, requiri terminum realem, quia terminus non realis nec ponitur verè, nec aufertur, aliàs admittendæ essent infinitæ de facto Relationes similitudinis, diuersitatis, &c. ad omnes terminos posibiles: quâ ratione adhuc alterum absurdum incurritur, nam cum Relationes similitudinis sint mutuæ, sequitur etiam in non ente Relationem realem dari, quæ terminetur ad ens reale, quod omnino impossibile est; quo modo enim realis passio entis non enti conueniat?

XXIII. Ab isthac realitate termini solutæ sunt Relationes Transcendentales. Cuius rei rationem aliquam assignare perdifficile est; potest tamen probari ista, quod nimirum relata Transcendentalia, licet includant aliquam Relationem in se, verè tamen sint entia absoluta, habeanturque ex naturâ vnius extremi, & proinde absoluantur à termino,& non ita dependeant ab illo, sicut Relationes prædicamentales; quæ cũ sint

ſint puriſsimi reſpectus, nec vllum aliud munus habeant in rerum *naturâ* niſi vt reſpiciant, hinc nullo modo poſſunt reſultare *niſi* aliquid ſit quod reſpiciant, nempe terminus, à quo propterea non poſſunt abſolui, ſed ita connectuntur cum termino, vt niſi eo exiſtente illæ nuſquam ſint.

XXIV. Parum refert abſolutumne ens ſit terminus Relationis an reſpectiuum, & hoc etiam de Relationis fundamẽto dicendum eſt. Nec inde ſequitur infinitus Relationum numerus; in noſtrâ enim ſententiâ, qui Relationem à ſubiecto non diſtinguimus, nequeunt eſſe plures entitates Relationum, quam ſint ſubiecta, & termini, & conſequenter etiam non poterunt eſſe plures Relationum vnitates, atque adeo cum ſubiectorum & terminorum finitæ ſint entitates, finitæ etiam erunt eorum vnitates, & finitus quoque erit eorum numerus qui ex his vnitatibus conflatur. Si quidem etiam ipſæ Relationum formalitates numerum alium non habent niſi ab intellectu, qui quidem cum fundamento in re maiorem facere non poteſt, quam pro multitudine ſubiectorum & terminorum.

XXV. Cæterum quâ aliâ ex causâ neganda ſit reſpectiuæ entitati vis terminandi Relationem, vel fundandi, penitus nõ deprehendo, cum & cognitio feratur in entitem relatiuam, ab eâque menſuretur, & ipſa Relatio, ſi modus eſt, dependeat à ſubiecto, peræquè ac quælibet abſoluta entitas vel menſurat cognitionem circa ſe verſantem, vel dependet à ſua causâ producente. Item nullo argumento conuincitur non eſſe vnitatem formalem Genericam & Specificam in prædicamento Relationis, qualis eſt in alijs prædicamentis, quæque fundet Relationem ſimilitudinis & conuenientiæ in eadem natura: demum Relatio diuerſum quid eſt à ſubſtantiâ, ac idcirco fundabit diuerſitatis Relationem, cur enim ad hæc inepta ſit vna vnica Relatio?

XXVI. Aliud eſt quod diuerſo ſenſu verè dicitur; relationem non terminari ad reſpectiuum: ſiue quod idem eſt, illud quod in termino eſt ratio cur ſit aptus terminare Relatio-

nem, non esse ipsam correlationem, quæ in termino reperitur, sed esse rationem aliquam absolutam: v. g. paternitas refert patrem ad entitatem filij, pro vt hæc est à patre per generationem producta, non verò ad filiationem, quia id est formalis terminus alicuius Relationis quod est formalis aptitudo, quâ fit vt vnum ab alio respiciatur: sed Relatio non est formalis aptitudo, quâ fit vt vnum ab alio respiciatur; sed quâ fit vt vnum aliud respiciat.

XXVII. Posit rem istam dubiam reddere hoc exemplum: quantitas bipalmaris & quantitas palmaris A, dicunt diuersas specie Relationes ad quantitatem palmarem B, prior scilicet est Relatio inæqualitatis, posterior æqualitatis. Cum ergo Relationes specificentur à termino, etiam erit diuersa ratio termini, adeoque hæ Relationes non terminabuntur ad absolutum terminum, cum iste vnus idemque sit. Sed hæc instantia nostræ sententiæ nihil admodum obstruit, quia potest diuersa ratio absoluta assignari in quantitate palmari, ad quam terminentur diuersæ Relationes.

XXVIII. Nam quantitas palmaris virtute, & formaliter est multiplex, licet entitate & materialiter sit simplex in quãtum enim consideratur sub ratione palmi, in tantum simplex quid est: in quantum verò consideratur secundum varias comparabilitates quas habet respectu aliorum, in tantum potest esse multiplex: palmus enim in quantum comparatur quantitati bipalmari, in tantum se habet vt excessum ad id, à quo exceditur; in quantum verò comparatur cum alio palmo, in tantum se habet, vt id quod adæquatur alteri, & secundum has formalitates potest specificare palmus diuersas Relationes, cum posit connotare diuersas rationes fundandi.

XXIX. Quando igitur mentio incidit de distinctione specificâ Relationum, commodè nunc ex integro deciditur, vnde ea desumenda sit. Prius verò notandum est dupliciter posse aliquid ab alio specificari, seu in sua specie essentiali constitui: nimirum primò intrinsecè, secundò extrinsecè.

Intrin-

Intrinſecè ſpecificatur aliquid ab alio, quando illud aliud eſt prædicatum, quod intrinſecè & eſſentialiter, ac per modum generis, vel differentiæ conſtituit eſſentiam illius quod ſpecificatur. ſic rationale intrinſecè ſpecificat hominem. Extrinſecè ſpecificat id, quod non quidem eſt genus vel differentia alicuius, ſed tamen ita connexum eſt illi quod ſpecificatur, vt illud nec eſſe nec concipi poſsit abſq; eo, quod ſpecificat, ſic obiecta ſpecificant potentias, habitus, & actus.

XXX. Relatio igitur extrinſecè ſpecificatur à termino, formaliter tamen non materialiter ſumpto: (id eſt ſecundum eam formam, à qua determinatur ad Eſſe materialis termini quæ eſt ratio fundandi, non autem ſecundum eam, per quam conſtituitur in Eſſe formalis termini, quæ eſt actualis terminatio in eſſentia Relationis intimè incluſa) poſitis enim terminis ſpecie diſtinctis, exurgit diuerſa ſpecie Relatio, licet fundamenta ſint eiuſdem ſpeciei: vt album dicit Relationem diuerſitatis ad nigrum, & ſimilitudinis ad aliud album.

XXXI. Et propterea Ariſt. ait, quod Relationes habeant eſſentialem ordinem ad terminos tanquam ad formã; nimirum extrinſecam, à qua in ſuo Eſſe vltimo compleantur; & hinc eſt quod Relationes abſolutè dicantur ſpecificari à termino: quia nimirum terminus eſt vltimum complementum eſſentiæ relatiuæ. Verum quidem eſt, quod etiam à fundamentis ſumatur ſpecificatio Relationum, ſed ob dictam cauſam nihilominus non dicuntur ab illis ſpecificari, ſicut homo non dicitur ſpecificari, ab animalitate.

XXXII. Demum pro Coronide diſputationis inquirendum eſt de nobili controuerſia. Vtrum nimirum vna Relatio poſsit reſpicere plures numero terminos, an verò ad multiplicationem terminorum multiplicentur etiam Relationes, v. g. an Patriarcha Iacob reſpexerit vnicâ numero Relatione Paternitatis, duodecim filios, an Relationibus duodecim.

XXXIII. Ad quod, omiſſâ prolixiori explicatione ſententiarum, breuiter Reſpondeo, non eſſe veriſimile quod vna Relatio

Parerga ex vniuersa Logica.

Ex Prolegomenis.

I. *Ens rationis tantum fit per conceptum falsum.*

II. *Secunda Intentio formalis præter conceptum reflexum requirit etiam Ens rationis.*

III. *Denominationes extrinsecæ nullum Ens rationis inuoluunt, nec sunt purè extrinsecæ, sed sunt partim intrinsecæ, nempe quoad rationem terminandi, quæ est in obiecto, circa quod forma extrinseca versatur.*

IV. *Logica nec est Ars, nec est Sciētia propriè dicta, sed est Habitus Instrumentarius purè practicus.*

V. *Obiectum attributionis Logicæ sunt Tres operationes mentis, quæ rationem obiecti Materialis habēt, in quantum sunt dirigibiles: Formale obiectum Logicæ est Forma Logica conceptibus imprimenda.*

Ex Vniuersalibus.

VI *Materiale significatum vniuersalis est Natura à parte rei formaliter vna, & numericè multiplex.*

VII. *Formale vniuersalis est hæc ipsa vnitas formalis, & aptitudo ad inessendum in multis, pro vt connotant abstractionem intellectus.*

VIII. *Vniuersale formaliter sumptū est denominatio purè intrinseca, nec inuoluit vllum Ens rationis.*

IX. *Vniuersale est vniuocum ad suas quinq; species. Genus, Specie, Differentia, &c. in suo Esse essentialiter possent constitui licet non forent vniuersalia.*

Ex Prædicamentis.

X. *Analogiæ solidum indicium non est Dependentia vnius ab altero, sed Transcendentia.*

XI. *Ens nec est propriè analogum Attributionis, nec Proportionalitatis.*

XII. *Prædicamenta inter se non necessariò distinguuntur realiter.*

XIII. *Accidentia tantum in abstracto ponuntur in prædicamentis.*

Ex libris Perihermenias.

XIV. *Nihil potest esse signum sui ipsius.*

XV. *Voces significant principalius conceptum quam rem ipsam.*

XVI *In aliqua prima mentis apprehensione datur veritas & falsitas.*

XVII *Vocula Est in omnibus enuntiationibus habet rationem verbi.*

XVIII. *Enunciatio non est vna simplex qualitas.*

Ex libris Priorum.

XIX. *Non datur Syllogismus Illatiuus quin sit simul Probatiuus.*

XX. *Non dantur modi indirecti in secunda & tertia figura.*

XXI. *Forma syllogistica non distinguitur à conceptibus, & nil aliud est quam Relatio transcendentalis conceptuum inter se, orta ex eo, quod secundum præcepta logica sint dispositi.*

XXII. *Præmissa causant conclusionem tantum moraliter.*

Ex libris Posteriorum.

XXIII. *Conclusio est de essentia Demonstrationis.*

XXIV. *Intellectus non est liber quoad Exercitium circa assensum cõclusionis demonstratiua, vbi præmissis assensit.*

XXV. *Non datur verus circulus Demonstrationis, nec vniformis nec difformis.*

XXVI. *Ad Demonstrationem Potissimam sufficit causa virtualis.*

LAVS DEO.

Philosophica hæc de Relationis Natura, Fundamento & Termino disputatio, Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus nihil repugnat, dignaque est, quam Nobilis Dominus defendens ad altiora referat.

WOLFGANGVS GRAVENEGG
Societatis IESV, *S. Theolog. Professor,*
& pro tempore Decanus.

Vtiliter hæ theses de Naturâ Relationis, cum suis parergis, mandantur typo, Nobilis defendentis claritatem aucturæ.

LVDOVICVS VOGL Societatis
IESV, *Philosophiæ Professor ordinarius, & pro tempore Decanus.*

PRÆNOBILI AC ERVDITO DOMINO SIXTO WERNERO BRIMSY AB Herblingen, harum Thesium Propugnatori, Honoris & Cognationis gratiâ.

Magna paras, Generosa audes, sublimia tentas,
Nam cerebrum in spinas conijcis, atquè caput.
Non miror: tibi Nobilitas, nec sanguinis ortus
Sufficit: esse cupis nobilitate duplex.
Mille Mathematici Siculi Miracula; mille
Euclidis sileant facta; nec Astra canant.
Illi Naturæ portenta stupenda patrârunt,
At Logices Spinas hic facit esse Rosas.

Cecinit.

IOANNES PHILIPPVS RENNER ab Almandingen, Collegiatæ Ecclesiæ Berchtersgadensis Canonicus.

PRÆNOBILI DOMINO RESPONDENTI COGNATO SVO.

Tanta duas inter solet esse Relatio Chordas,
Quas parili tendit docta tenore manus:
Vt titubante vagi vertigine pollicis istâ,
AEmula riuales accinat illa modos.
Non minor est Nostras inter concordia Mentes,
Cognatus Rubrâ quas ligat Arte Cruor;
Hinc tua dum Sophico pulsatur pollice lingua,
Primitios Iuuenis iungo Poëta sonos.

Allusit

BALTHASARVS FERDINANDVS ab Hornstain Poëtices Auditor.

AD PRÆNOBILEM D. DEFENDENTEM NOVA RELATIO.

COmplura Logicis de Relationibus
Et disputas & disseris:
Omnes sed hæ Relationum copiæ
Suum requirunt Terminum
Mihi tecum Noua Relatio *amoris est,*
Quam nullus ambit Terminus.

Cognationis & Amoris ergo

IOAN. LVDOVICVS REICHLIN
à Meldegg.

AD PRÆNOBILEM DOMINVM DEFENDENTEM.

PRopugnas Logicis Relationem
Armis, (Cura meo polita ductu)
Rem multi bibulam quidem Laboris,
Sed plenam, mihi crede, Dignitatis,
Doctrina geminum tua Theatrum.
Non te copia distributionum
Eneruat; Seges est Honoris illud,
Quod multi Scopulum putant Honoris.
Verùm noscere concupisco, qualem
Inter tot teneas Relationum
Diuersas species opinionem;
Qualis Discipuli sit ad Magistrum?
Tuum si video Meumq; velle,
(Quidquid sentiat inclitus virorum
Doctorum numerus) Relationem
Inter Nos reor esse Identitatis.

Accinebat

IOANNES GEMMISCH, eiusdem
Dom. Defen. Moderator, SS.
Theol. & Metaphys. Studiosus.